fuerunt iam non erit ignis consumens sed
illuminans. Unde et Iohannes: Ignis duplicem naturam
habet quia et lucet et urit; sic et
deus lucet in iustis et peccatores incendit.
Et sic repleti sunt omnes spiritu sancto
et ceperunt loqui variis linguis secundum eos
spiritus sancti impetu et prout ipse dabat
eis pronunciare et eloqui, qui dividens
singulis prout vult et spirans ubi vult,
quando vult, quantum vult, quo vult et quibus vult,
radiosa luce sic omnes eos veritatem
edocuit et inextinguibili caritatis
ardore ad omnem dilectionem accendit et in-
vincibili vi fortitudinis id est virtute fir-
mavit inspirans illis omnium linguarum
notitiam. Iuxta quod legitur in sapientia: Spiritus domini
replevit orbem terrarum et hoc quod conti-
net omnia scientiam habet vocis cum ei creatura
et apparet quod sancta est omnis creatura suam habens
vocis id est linguarum. Ac si diceret: Spiritus
sanctus replens orbem terrarum dedit
diversas linguas ut linguis omnium
gentium loquerentur. Cum enim etiam in una
gente erat unusquisque loquens linguis omnium
significabatur quod ecclesia extendenda per omnes gentes
linguis omnium locutura esset quia iam ecclesia
linguas omnium habet. Vel quia iam omnes lingue lo-
quebantur omnes lingue credite concedebant.
Ipsa autem species corporalis in qua spiritus sanctus
visibiliter descendit adeo usum tunc descen-
dendi in apostolos competivit ut sic ori
verbum, intellectui lucem, et affectui ar-
dorem et cordi robur ministraret. Lingua
enim verba explicat, ignis vero illuminat,
calefacit et testa roborat. Sed ad
aliud nunc sit ad declarandum peccata datus
fuit, quando post resurrectionem suam dominus discipulis
insufflavit et dixit: Accipite spiritum
sanctum. Quorum remiseritis peccata remit-
tuntur eis et quorum retinueritis retenta
erunt. Datus est etiam apostolis spiritus sanctus
ante passionem ad purgandum, quando fuerunt
baptizati et ad faciendum miracula quando ad
predicandum sunt missi et dictum est eis:
Egros sanate, demones eicite, mortuos

suscitate. Unde Iohannes: Ego quidem audacter
permitto apostolos ex eo tempore quo crediderunt
domino spiritum sanctum habuisse nec absque gratia
signa facere potuisse, sed cum primo dulo
atque mensura recepisse; primo autem die
resurrectionis acceperunt gratiam spiritus sancti
qua peccata dimitterent et baptizarent
ac spiritum adoptionis credentibus traderent;
die vero pentecostes eis amplius repro-
missus est ut virtute ex alto induerentur
quam et evangelium Christi cunctis gentibus predicarent.
Unde et Leo papa: Leo in ambiguum quod cum
in die pentecostes implevit discipulos domini spiritus
sanctus non fuit inchoatio munerum sed adiectio lar-
gitatis. Nam et patriarche et prophete et
sacerdotes omnes qui fuerunt ante tempora sub eodem
spiritu sanctificante vegetati sunt et sine hac gratia
nulla umquam instituta sunt sacramenta nulla
que celebrata misteria ut eadem semper fuerit
virtus carismatum quamvis non eadem fuerit
mensura donorum. Vel dicitur effusus designatur
spiritus sancti congrue demonstratur igne.
Spiritus enim sanctus instar ignis primo
purgat per donum timoris, secundo liquefacit
per donum pietatis, tercio decorat per donum
scientie, quarto consolidat per donum fortitudinis,
quinto elevat per donum consilii, sexto illuminat
per donum intellectus, septimo dulcorat per donum
sapientie. Primus effectus ignis patet in vere
salamandre, secundus in cera, tercius in metallis, quartus
in lateribus, quintus in vaporibus, sextus in luminibus,
septimus in mellibus. Tercio quo secundum quinquagesimum supputum legis
apostolos manifesta datur; spiritum sanctum accepisse
primo domino consistente in terra per insufflationem,
postmodum sedente in celo in variis linguis
per ignem quia caritas que in cordibus per spiritum
sanctum diffunditur duobus preceptis scilicet
dilectionis dei et proximi impletur. In terra datur
spiritus ut diligatur proximus, de celo datur spiritus
ut diligatur deus. Sicut una est caritas et
duo precepta ita unus spiritus et duo data.
Et quia per dilectionem proximi pervenitur ad dilectionem
dei, ideo prius datus in terra et postmodum in celo.
Sicut enim ait Iohannes: Qui non diligit fratrem
suum quem videt, deum quem non videt quo-
modo potest diligere. Et sciendum quod spiritus sanctus
datur seu mittitur visibiliter et invisibiliter.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_338/0281
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG